Quaestio medica, an Clivi Meudonici situs, ut amoenus, sic salubris? / [Simon Antoine Bringaud].

Contributors

Bringaud, Simon Antoine.
Ferret, L.
Université de Paris

Publication/Creation

Paris : Quillau, 1751.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/akdt8edr

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Mercurii decimo-sexto mensis Junii, anno Domini M. DCC. LI.

M. LAURENTIO FERRET, Doctore Medico, Præside.

An Clivi Meudonici situs, ut amœnus, sic salubris?

I.

BEATUS ille, qui procul urbis fumo ac strepitu, dulcem captat ruris auram omni solutus negotio; sibi vivens & amicis numerat sine nube soles. Vides ut surgens sopitas aperiat palpebras roseis aurora digitis, ut variis, quos terræ fructibus appingit, oculi recreentur coloribus, ut miro avium concentu aures demulceantur. Esurienti dulciùs sapit esca, jovis aurâ spontaneam obsonante famem. Agrestia nunc, nunc culta percurrit indefessus; naribus blandè

favet zephirus pennâ jocanti mulcens odoratos flores; indè diurnas emensus horas, placidæ dat membra nocti. O nimiùm fortunatus, si sua bona norit! Nec tamen rusticationem sua semper merces sequitur; non enim omne rus omnia fert commoda. Terra obnoxia cœlo est. Sæpè plura nitent humi, ubi cœlo plura sordent. Fallit aliquandò soli facies, & primâ fronte salubria incautos decipiunt. Floribus amœnis & pulchrâ fronde subridens arbor vacuum non rarò delusit colonum. Tibi dulce est valere in loco? Situm observa: montium ac vallium dispares fortunæ. Non ubivis circumfluit purus aer, molliter spirant venti, salubris unda manat. Non benigno quemque locum Sol salutat aspectu. Ut à situ dulcedo loci, sic salubritas.

II.

SUNT quos super ardua montis culmina penates instituisse juvat, aquilarum more suspensos; latè prospiciunt ii, hinc fortunati sibi plaudunt. Humiles habitare plagas amant alii, solos sanos viventes clamant in valle. Hunc, si juvat umbra & nemorum recessus; illum, si apricum amat campum patiens pulveris atque solis; gaudentem in fluminis ripâ hospitari; quibusvis rationibus nunquam dimoveas. Oppidi laudat quisque rura sui. Sapit omnium maxime, qui salubre dulci miscet. Tellus depressior, imâ latens convalle, stagnantibus obruitur aquis, aëre libero ac perflato orbatur: aut horret tempestatibus, aut ventis datur ludibrium montis cacumine ratio editior. Curvo sub colle degentem coquit acrior solis æstus. Vapores humidos mittunt sylvæ & frigus opacum: fibras relaxat & inducit humoribus putredinem unda multa circumfluens, aut proximior amnis. Vicinas præsertim fuge paludes, quæ virus eructant & morbos. Nec ventorum sperne rationem; divisum imperium cum elementis habent, sanitatis fortunas & fata secum vehunt; quorum ortus respice studiosus. Corpus hebetat & solvit plumbeus auster; aquilo firmat & excitat. Affert ille maturam senectutem, longam hic alit adolescentiam. Lethali humidus frigore altiùs penetrat ab Occidente ventus, ab Oriente tepens & siccus poros referat. Ergò locum capies qui sic subsideat in valle, ut aëra laxum excipiat, vel sic consurgat in collem, ut sole nec æstuet, nec ventis rigeat. Orienti expositus, clemens experiatur cœlum, mollesque auras frequentiùs quàm ventos habeat. Sed & aquas observa: ut cœli, sic soli salubris dant indicia. Seu scaturiat è fonte lympha, magno seu flumine volvatur, levis & limpida stomacho gratior bibitur & salubrior. Nec verò tantum fluentes aquæ, sed & sponte nascentes herbæ soli indolem eloquuntur. Ex levi enim teneroque solo plantularum sylva pullulans odoros siccantesque spargit vapores, cerebro pulmonique perutiles. His gaudenti commodis, si detur simul longos prospicere agros, hujus & mens recreatur, & corpus servatur incolume. Ubi igitur tot & tanta consociata inveneris commoda, ibi securus pone larem.

III.

AD Occidentalem Lutetiæ partem, mediâ inter hanc & Versaliarum urbem viâ, secundùm Meridionalem sequanæ ripam, collis assurgit; qui regiam prætexens viam, ab Occidente desinit in juga Seviana, & versùs meridiem Meudoni lateri accumbit. Jucundo hujus clivo locus inest, cui ut decus, sic & nomen, elegantiâ suâ facilè princeps aspectus asseruit. Hîc stet contemplator, & avidis oculis mirabili spectaculo inhians, velut è speculâ rura circumpatentia prospiciat. Non per inane vagatur oculus, locorum tantùm exspatiatus deserta, hæc plena tædii; non ex alto præ-

ceps cadit in infima nimis, attonitum reddunt caput hæc potiùs quam reficiunt; non distanti nimis limite remota aspectat, quæ fatigant mentem nedùm recreent. Rident omnia oculis, & animos oblectant; undique rerum ordo, copia, apparatus. Uno aspectu metiris horizontem, quem pictoribus vix tantum fingere fas sit, quantum efficere naturæ fuit promptum; oculi nullibi blandiùs acquiescunt. Delicias ruris maritatas artis opibus cerneres, adeò jucundus est, adeò dives vastus ille amœnitatis campus! Sed quid spectatorem moror? Aërias ab Oriente Urbis turres & populosa suburbia, ab Occidente, nemorosos Sanclovii colles atque palatia miratur. Miratur & sequanam qui, ubi vectigales Parisinis nymphis undas devexerit, fugit ab urbe. Multum salutat littus fluens amnis, alius semper & idem. Nunc medicatis collis Passiaci fontibus allabitur, nunc aspicit illud Martis monumentum, ubi honesto truncati vulnere, veterani bellatores sanguine emptâ quiete fruuntur; mox aspiciet surgentem à fundamentis, jubente Marte altero, æmulam domum, ubi delecta juventus, militiæ rudimentis informata, discet petere pulchram, per ignes, per vulnera, mortem. Indè profluens, quasi captus amœnitate loci, curvo tramite laudati collis oras alluit. Insulas circum suspensis ludit aquis, nec, nisi post dulces moras, ad Sanclovium properat. Quid plura? Obsequiosum videre est amnem, obversatam planitiem semilunari circuitu ambire. In quâ, quis numeret tot prædia? Quis tot elegantes villas? Hîc frequentatum Bononiense nemus, eique adjacentes vicos aspice, nostrates illic elysios campos & antiqua regum tecta. lætissima ubique prata, luxuriem segetum, bacchi munera lustras oculis. continuis non sine nomine montium jugis, ad Amphitheatri normam dispositis, vasta circumscribuntur hæc loca. Talia prospicit locus ille, utrinque pampineis comitatus collibus, plurimâque à tergo sylvâ coronatus. O faustum clivum, inhospitam nuper atque haud tritam tellurem! Sorte dignus eras aliâ: apta ponendæ domo reperta es area; ipse te, *Belvisus*, sequana, ipsi te colles, ipsa hæc nemora vocabant. Nec operosæ arti tuum debes nec impensis decus. Quid enim optanti dives deneget solum? Viscera aperias? saxosa sunt. circum circâ fodias? calcem, gypsum, arenam, invenire est; egregii fundamina laboris. Nec deest nuntia lymphæ glarea; undique scaturiunt rivi. Diceres ad hoc opus gaudentem versari terram, artificum vota superasse. Hinc cœlo novum se prodit ædificium. Sed ut opificis labor, sic laus, ista sint. Quod Medicorum est tractant Medici. Quæ grata sæpè sunt sana; sed quæ sana, grata magis.

IV.

JAM quàm multa ferat salubria faustus ille situs, audi. Ad Septentrionem leviter declinans, Solique nascenti obversatus, primis ejus radiis collustratur; unde, roscido sursùm elevato humore, purgatus aër, pulmone purissimus trahitur. Spirantibus & ab ortu & à Septentrione ventis perflatur, juvandæ cutis exhalationi per quam idoneis. Medio collis clivo recumbentis loci siccam temperiem laudes. Ut veniens dextrum latus aspicit Sol, sic discedens curru fugiente lævum vaporat. Nec ea est vicinia montium aut proceritas, quæ, Solis geminans incendia, collem faciat æstuosum: libero patenti aere fruitur; nullo, orientem versùs, montium objectu venti disturbati, planitiei facilè ac liberè incumbentes, per campos felicissimè collem versùs excurrunt. Hinc quàm purus aër, quàm absersus, sequanæ, quibus videtur ferri, refrigeratus undis; ad collem primâ potissimùm luce ap-

pellit, & incolas recreat. Hæc venti præstant; hæc sequana, qui solaribus ubique expositus radiis, stagnans nunquam, nec citior, leni & æquabili cursu properat, singulis vitæ beatioris usibus & commodis non impar. At quid ego de sequanâ? Jucundus collis felici enatas sinu lymphas excipit. Hæ gratæ palato, viscera facilè permeant; leves stomacho, pectoris amicæ, sitim fugant suaviter & explent, appetitum promovent & excitant. Non illæ vel levissimam vasis crustam obducunt, non lentè excoquunt legumen, faciles subjecto igne penetrari, faciles nativum frigus resumere. Undis adeò salubribus irrigatum salubre pronuntiare solum, quis dubitet? Quod ni credis, solum explora. Diversis habitatum reperies plantarum familiis, quæ suaves inter se miscent odores, cerebro nervisque gratissimos. His inspiratis, pulmonis fibræ leniter titillatæ roborantur; sanguini, quovis cardiaco certior, vis additur, succoque digestivo virtus imprimitur, omni pharmaco longè salubrior. Quod tandem certius salubritatis indicium quàm gaudentes solo vites? Bacchus amat colles, Bacchus aëris puritatem, & telluris salutiferam indolem nuntiat.

V.

EXEGI quæ celebrandi situs erant. Hîc mentem exhilarant oculorum illecebræ; cum aëre spiratur, hauritur cum lymphâ sanitas. Nimiùm ne crede sensibus, inquiet aliquis: loci captus dulcedine situm salubrem citiùs exclamas. Ventos undique depræliantes, humidos vicini amnis halitus, torrentem totâ die solis æstum, tu inter sanitatis commoda reposueris? Quî vigeat inter hæc functionum integritas? undique bellum & insidiæ; nullo non die, nullâ non horâ mutatur loci temperies: vana meticulosi verba! clivi recordare situm; Meudonici montis tectus culmine, Villadavræique & Sanclovii collibus defensus, quid à meridie pertimescat? Quid ab occidente? Hinc atque indè convallatur locus; Euriquę & Boreæ alternis vicibus expositus, nec præcipitem Africum decertantem Aquilonibus, nec rabiem timet Noti: at urges; rapidi saltem Aquilonis insultus perferendi: hinc tusses, faucium asperitas, alvi astrictio, suppressio urinæ, frigora, horrores, dolores lateris & pectoris. Hæc satis, ô querule; Aquilonis vim lenis Eurus temperat, mulcetque radiis sol beneficus. Sed quid boream criminaris? siccus ille detergit aëra, frigidoque spiramine mitigat solis ignes. Nec purum amnem incusa, ferentemque dona ne timeas sequanam; ut haustu salubrior nullus, sic vapore nullus magis innocuus. Quid plura? Potiorem nosti-ne locum? Est ubi plus tepeant hyemes? Ubi Syrii æstum leniat aura gratior? Præsertim vere cùm tempestas arridet, floribusque conspergit anni tempus herbas viridantes; dulce ridentem clivum laudabo, dulce spirantem.

Ergò Clivi Meudonici situs, ut amœnus, sic salubris.

Proponebat Parisiis, SIMON-ANTONIUS BRINGAUD, Pontæsianus, Rothomagensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.